

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Philosophie moralis s. ethica - Ettenheim-Münste 104

Cartier, Gallus

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput Quartium

[urn:nbn:de:bsz:31-110979](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-110979)

Caput Quartum.

43.

De Actibus humanis, et eorumdem
Regulis.

77.

De actu humano acturis nobis animus non est, ea omnia et singula huc circa illum expendere, quae de eo exponi possunt, id enim nimisquam longum foret, necnon instituti nostri rationem transgredieretur; atque ab hoc immenso labore esse libentius abstinemus, quod in Theologia Speciali de actibus humanis reuertat tractatis, ubi de iis secundum totam illorum amplitudinem agitur. Haec ergo, pro studio nempe nostri argumenti, hic duntaxat de actu humano adijcimus, cetera Theologis relinquentes.

Actus igitur humani nomine non omnis actio intelligitur, quae ab homine provenit, sed ea sola, quae a libero principio proficiscitur, atque fit ab homine humano modo operante, id est, agente consulto et cogitato; quo actus humanus discernitur ab eo actu, qui hominis dicitur, non humanus, quique ab homine fit extra ullam mentis attentionem.

S. Primum.

78.

De Libertate humana, seu actuum
humanorum.

Quidam adeo sui ipsorum ignari esse videntur, atque tam negligenter actuum humanorum originem scrutari, ut omnia, quae agunt, in caecam necessitatem refundere non dubitent, atque autumant, homines ab impulso instinctu agere, et nihil ab iis fieri, quod necessario non determinetur. Sed huiusmodi homines dignos existimamus, qui stipiti abigentur, et ibi tandem fustibus cedantur, donec ab iis liberari postulent, lateanturque in percutientis potestate esse, à verberibus desistere.

Quid enim quotidiano experimento magis
adversum, quam credere ab arbitrato nostro
non pendere loqui aut tacere, quiescere, aut
spatiari, miserum manum porrigere, aut ne-
glectum praeterire? Id adeo manifestum est,
ut hoc in montibus, prout ait S. Augustinus,
Pastores decantent, in Theatris Poetae, In-
dorti in circulis, Magistri in Scholis, et in
orbe terrarum ipsum genus humanum.
Quippe si libero arbitrio homines destituan-
tur, quorsum conduntur leges? cur bonis pra-
mia, poena vero malis decernuntur; si ea,
ob qua illi remunerantur, isti vero casti-
gantur, in eorum potestate non fuerunt,
et necessario deliquerunt, vel de Republica
bene meriti sunt? In quem finem fiunt
exhortationes, quorsum ad virtutem ex-
citamur, si eam propriis viribus obti-
nere non valemus, atque infantibus, ac
furiosis similes, eligendi vel repudiandi
saevitate caremus.

P. XXV
405

Deinde si omnia ex necessitate agi-
mus, ubi prevaricatio, ubi peccatum,
ubi legis transgressio, si ad omnia cogi-
mur, et facta nostra natura imputan-
tur, non voluntati.

Constat igitur, ut caetera omittamus,
homines liberos esse, et ita sibi emanu-
pato, ut bono et malo sibi ob oculos po-
sitis, bonum eligere possint, si eis sub ra-
tione boni exhibeatur, aut malum, si
illius species eorum intellectum magis fe-
riat, et voluntatem attrahat; vel, duo-
bus bonis propositis, possint in unum ferri,
alio relicto, si illud magis conveniens
appareat, et majorem elegantiam pra-
eferat.

Igitur Statuendum liberi arbitrii potes-^{48.}
tatem homini à Deo esse concessam, et omnem,
non necessitate, sed liberam voluntate im-
pelli, dum operatur. Alioquin quidni
in Deo, si solus in mundo agens esset, om-
nia naturae et voluntatis humanae pecca-
ta imputarentur, necnon caedes, rapinas,
adulteria, &c. ipse perpetrare diceretur?
oportuit ergo hominem libertate donari,
ut ei, quidquid ageret, tribueretur, et di-
gna factis praemia aut poenas reciperet.

Sed quamvis quisque hanc eligendi po-
tentiam experiatur, sentiatque volun-
tatem suam à nullo agente creato in suis
determinationibus pendere; non est ta-
men existimandum, eam à nullo omni-
no pendere, quia licet liberum arbitri-
um, si ad nos ipsos tantum attendamus, non
possit non conungi velut à nemine pen-
dens; tamen, si ad infinitam Dei poten-
tiam animum advertimus, non possu-
mus non credere, omnia ab illo pendere,
et proinde liberum arbitrium nostrum
ejus imperio solutum non esse: impli-
cat enim contradictionem, Deum cre-
asse homines ejusmodi naturae, ut
actiones voluntatum eorum ab ipsius
voluntate non pendeant; quia idem
est, ac si quis diceret, potentiam ejus
esse finitam simul et infinitam: finitam
quidem, cum aliquid sit, quod ab ipso non
pendet; infinitam vero, cum potuerit hanc
ab ipso non pendentem creare.

Sed quemadmodum existentia Dei cogni-
tio non debet liberi arbitrii nostri certitu-
dinem tollere, ita neque liberi arbitrii nos-
tri cognitio existentiam Dei apud nos dubiam

40.

facere haud debet. Independentia enim illa, ut communi Philosophorum Stylo loquamur, quam experimur, atque in nobis presentissimus, et qua actionibus nostris laude, vel vituperio dignis efficiendis sufficit, non pugnat cum alterius generis dependentia, seu, ut melius dicamus, subiectione, secundum quam omnia Deo subiciuntur.

80. Verum forte obijcietur nobis: Si verum est, omnia Dei potentia subijci, ac proinde omnia voluntatis nostrae opera ab eo pendere; quae fiet, ut humana libertas salvetur, et liberi adhuc dicamur; cum omnia, quae a nobis proficiuntur, ab eo ordinata sint, et praeter illius praesentiam contingere nequeant.

Ad quod Resp. Quod Deus sit quidem omnium rerum causa totalis et universalis, adeo, ut a creaturis suis nihil fieri possit, quod ab ipso non pendeat; non tamen in omnibus eodem modo se habeat. Nam in illa rerum productione, ad quas nec nostrum nec alterius agentis creati arbitrium quiesquam confert, dici debet Deus ad suam tantummodo voluntatem attendisse, quae absolute decrevit, illas certo modo, determinatoque tempore producere. Quantum vero ad illa, in quae voluntas humana jus aliquod habet, non suam tantum voluntatem respexit, sed et voluntatis nostrae consensum in suo Decreto complexus est, et non nisi praesupposita nostra determinatione quicquam voluit absolute evenire: non enim sequitur, quod, si Deus certus causarum omnium ordo est manifestus, nihil praeterea in nostrae voluntatis arbitrio sit; cum et ipse quoque voluntates

2

406

47.
nostros ignorare non potuerit, quas nostrorum
operum principia esse praeovit. Verum de his
suis in Theologia agetur. Interim videri
possunt ea, quae in Metaphysica nostra de
Deo Motore discernimus.

Quantum ad ea, quae liberi arbitrii usum 81.
impedire possunt, tria possum ab Ethicis nu-
merantur, scilicet Metus, Ignorantia, et
Coactio.

Metus libertati officere videtur, quando
vani hominis non est, ut loquuntur Juris
periti, sed qui in virum constantem cadit,
id est, qui gravis esse censetur; quoniam
illum ad ea agenda impedit, quae non age-
ret, si sibi relinqueretur, imloque time-
re conuenteretur, adeoque repugnante volun-
tate fiunt. Verum Metus siue gravis,
siue levis sit, non tamen libertatem om-
nino destruit; imò si facta ex metu spec-
tentur comparata ad majus malum, quod
aliquis declinare cupit, debent censi vo-
luntaria, quia fiunt à principio intrin-
sico, seu voluntate, cum cognitione eo-
rum omnium, in quibus consistit actio;
in quo natura voluntarii consistit.

82.
Quomodo vero Ignorantia, seu absen-
tia vel Carentia cognitionis liberi arbi-
trii usum impedire dicatur, facile dis-
citur, si attendamus duplicem dis-
tingui Ignorantiam vincibilem nampe
et invincibilem. Vincibilis vocatur,
quae adhibita morali diligentia facile
vinci et superari potest. Invincibilis
vero est, quando penes aliquem non est
scire, quod ignorat, seu quando quis rebus
eodem modo stantibus, adhibitaque hu-
mana diligentia, eam superare nullate-
nus potest.

83. Ignorantia respectu actus etiam triplex esse dignoscitur: Antecedens, quae omnem voluntatis consensum praecedit; et haec indubie invincibilis est, atque omni culpa vacat: ut si quis venando hominem, feram esse existimans, interficiat; quia supponitur, quod nunquam tale quid intenderit. Alia est Concomitans, quae simul cum actu est, illi quae comitatur, non vero est illius causa vel occasio: ut si quis capitalem hostem, cuius mortem quaerit, pro fera inter venandum occideret, haec ignorantia comitatur quidem actionem, sed non est illius causa: siquidem, etiam remota ignorantia, fieret actus. Et denique Consequens, quae nempe voluntatis consensum, et determinationem sequitur, ac proinde est voluntaria: ut si quis à Templo frequentando abstineat, eo quod de tempore, quo illud adendum est, inquirere negligat. His ita breviter explicatis, facile est dignoscere, solam Ignorantiam invincibilem et antecedentem efficere involuntarium, quia talis ignorantia nullo pacto ad voluntatem refertur, cum omne, quod ex ea sequitur, cognitum non fuerit: nihil autem ab homine volitum, ut Schola loquitur, nisi prius cognitum fuerit. Intelectus enim facem praefert voluntati, eique praebet.

Notandum tamen, Iuris naturalis, sive illius, quod à natura, atque naturali instinctu omnibus innotescit, nullam esse ignorantiam invincibilem, quoad prima sua principia, quale est illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. eorumque proximas conclusiones, quae sunt praecepta Decalogi, ut non occi-

De, non moechaberis, p. ac proinde eum, 49.
qui idud transgreditur, nunquam esse à culpa
immunem.

Explicandum hie restat, num dari possit 84.
coactio, seu vis aut violentia, qua volun-

tatis nostrae actiones involuntarias reddat.
Pro quo sciendum, dari duplicis generis
voluntatis actus, interiores (nempe, seu
elicitos); et exteriores, seu imperatos.

Eliciti sunt, qui immediatè à voluntate
tanquam principio eliciuntur, ut Amor,
et odium. Imperati verò, qui ab alià
causitate, quam voluntate, non tamen
sine voluntatis imperio proficiuntur, ut
sunt membrorum corporis motus, quales
sunt ambulatio, loquutio, scriptio, p.

Quantum ad primos, certum est vim nul-
lam inferri posse voluntati, quia semper fi-
unt cum voluntatis propensione: nam
Amor s.g. qui est actus elicitus voluntatis,
nunquam esse potest contra ipsius ineli-
nationem. Violentum autem dicitur,
quod fit contra voluntatis propensionem.

Actus verò à voluntate imperati dici
quandoque possunt involuntarii: siquidem
eis potest inferri violentia; nam potest
aliquis alterius brachium impellere con-
tra ipsius voluntatem et propensionem.

S. Secundus.

De bonitate et malitià actuum
Humanorum. 85.

Ad humanorum actuum productio-
nem duo principia concurrunt, ut jam
S. precedenti insinuavimus, Intellectus
scilicet, et Voluntas. Intellectus
quidem veluti minister praemonstrans,
et facem ferens, quâ Voluntati tanquam
Dominae praebet. Nam licet Volun-

50. tas sit facultas electiva, quâ Mens se liberè de-
terminat ad aliquid faciendum vel omittendum,
requiritur tamen id ut Intellectus illud ei-
dem prius proponat; quia sicut generatim
nihil volitum est, nisi prius cognitum fue-
rit; ita nihil liberè volitum est, nisi ab In-
tellectu præcognitum fuerit. Unde omnis
error, qui in actionibus nostris contingit,
ex eo præsertim oritur, quod Intellectus
malè percipiat; nam si Intellectus nihil
aliud unquam Menti exhiberet, nisi quod
clarum et evidens est, ita ut de eo ipsa du-
bitare non posset, nunquam etiam Volun-
tas in suâ electione erraret.

86. In quolibet actu humano considera-
tur duplex bonitas, Una natura, sive, ut
alii vocant, Entativa, quæ omnibus rebus
convenit; in quantum naturam quandam
et entitatem habent. Altera Moralis,
quæ nihil aliud est, quam ipsius humani ac-
tus cum rectâ ratione conformitas; sicut
à contrâ Malitia moralis est alienatio, et
deformitas à rectâ ratione; cum nempe
ei deest aliqua perfectio, quæ secundum rec-
tam rationem ei inesse deberet. Voca-
mus autem rectam rationem Verum de
unaquâque re iudicium ab omni opinio-
nem suâ liberum, quo Dei naturæque
leges dignoscuntur, et de unaquâque re
secundum legis præscripta rectè ac pru-
dentè iudicatur.

Ex quo patet, multas actiones, quæ in
genere natura conveniunt, maxime inter
se in genere morum differre. Hominem
interficere e.g. dum in propriâ auctori-
tate fit, ab eâ actione non distinguitur, quæ
per auctoritatem publicam interficitur, si
utraque actio quoad eadè naturam spectetur;

bonè autem in genere morum, cum hominem ^{51.}
publicà auctoritate interimere ratione justi-
tiae, qua tum enecetur, licitum sit, et boni
rationem habeat: illum verò proprio instinctu,
privatòque auctoritate interficere iniquum
est, et divinà lege prohibitum.

Existimatur ergò actus moraliter bonus,
si bonum respiciat secundum rectam rationem
appetendum; actus enim humani ab objectò
bonitatem suam mutuuntur, cum tale esse
supponitur, quale ipsa ratio praescribit. Non
enim idèò objectum bonum esse putatur,
quia illud Intellectus cognovit, et voluntas
rectè appetit, sed è diverso potius, quoniam
objectum ex naturà sua bonum est, et hones-
tum, idèò voluntas, qua in illud fertur, recta
est. Igitur mores recti non reddunt objec-
tum bonum et honestum, imò è contra ob-
jectum bonum, et rationi consentaneum
rectos mores efficit; ac proinde actus humani
ab eo bonitatis vel pravitatis rationem acci-
piunt. Eodem modo de actionibus malis
censendum est, qua suam malitiam ab ob-
jectò turpi et inhonesto accipiunt. Unde fit,
ut, quò turpius est objectum aliquòd, èò eti-
am turpior actus reddatur; ac proinde cum
omnia objecta non sint aequalia, et alia aliis
pravitate antecellant, ita nec paria sunt
peccata, sed quaedam aliis graviora, aut le-
viora.

Humanorum actuum bonitas aut malitia ^{87.}
non solum ab objectò pendent, sed etiam à
quibusdam circumstantiis, qua idèò tales di-
cuntur, quòd actus huiusmodi, praesertim
exteriorès, circumstantent, et veluti quidam
modi seu accidentia sint, qua in illis obser-
vantur. Huiusmodi circumstantia septem
passim enumerantur hoc versiculo compre-
hensa, prout jam in Logica nostra ad-
notavimus:

4
408

52. Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis qualitatem agentis denotat; ut numm qui Stuprum e.g. perpetravit, Rex Pet, an Subditus; civis, an alienigena; Coelebs, an matrimonio junctus; &c.

Quid indicat qualitatem objecti, circa quod ipsa actio versatur; ut an Mulier, qua Stuprum papa est, virgo fuerit Deo dicata, an libera.

Ubi denotat locum, in quo scelus perpetratum est, an in Templo, vel in alio loco profano.

Quibus auxiliis instrumenta vel socios significat, quibus quis usus est, ad faciendum perpetrandum; ut percussitne gladio, an fruste; vel an aliquos adhibuerit, qui iurarent; et an hi Ecclesiastici, vel Laici fuerint.

Cur agentis finem et intentionem detegit; ut numm huro abiecit, vel uli scanda injuria proutu quis alterum aggressus sit; numm ob Dei gloriam, vel vana aucupanda laudis gratia bonum aliquod opus fecerit.

Quomodo significat actionis modum; ut an quis ira percitus, an sana mente alterum laeserit; an dolo, an bona fide cum illo egerit.

Quando tempus indicat, quo actio facta est, an de nocte, an de die commissum fuerit scelus.

Haec circumstantia consulto dicta sunt ad humanos actus conuenere, quoniam ex illis quaedam eorum bonitatem, quaedam malitiam argunt, imo interdum speciem mutant, e.g. quod id, quod furto ablatum est, sit Sacrum, efficit, quod talis ablatio non simplex duntaxat furtum sit, sed Sacrilegium, quod a simplici furto specie differt, quoniam illud supponitur speciali precepto prohibitum. Et in tali casu circumstantia rationem circumstantiarum amittunt, et objecti naturam induunt, a quo, ut diximus, humanus actus malitiam suam accipit, et supplicio, ac poena dignus efficitur.

De humanorum actuum Regulis.

Duplex actuum humanorum Regula generatim statuitur, una prima et remota, scilicet lex aeterna, quae est Summa Dei ratio, vel ordo, quo cuncta sapienter disponuntur; altera derivata et propior, nempe ratio humana, quae est veluti quaedam Summa istius, ac divina rationis participatio: utraque tamen vel ordinis: quia rerum ordinem constituit: / simpliciter, vel legis naturalis: quod natura sit indita: / nomine comprehenditur, ac ceteris legibus positivis tum divinis, tum humanis atque conscientiae dictamini* praebet originem.

Lex quippe generatim secundum S. Thomam 89. est regula quaedam aut mensura actuum humanorum, per quam ad id, quod rectum est, agendum, et quod pravum est, fugendum et omittendum dirigimur. vel brevius, est regula agendorum, et omittendorum: quae comparati ad Legislatorem defini potest, recta ratio imperandi, atque prohibendi: vel ordinatio rationis imperans honesta, prohibens contraria. Nam Legis praecpta sunt duplicis generis; alia, quae bonum imperant, quae dicuntur positiva, seu affirmativa, ut Dilige Dominum p. alia, quae malum prohibent, atque negativa vocantur, ut Non occides.

Lex autem omnis vel naturalis est, vel positiva. 90. Naturalis est immutabilis, ac defini potest expressio divinae legis, quam Deus ipse mentibus nostris inserit ad discernendum, quod natura sua bonum, et faciendum sit, vel quod natura sua malum et fugiendum sit.

Lex ista vel in Deo spectatur, et sic lex aeterna vel ordo aeternus dicitur; vel in nobis, et tunc vel recta ratio, vel etiam

5
409

* Dictamen conscientiae est velut lex privata dicens quid in particulari agendum, quodve omittendum sit. à Theologis iudicium nuncupatur.

54. lumen naturale vocatur; aut legis naturalis,
vel Ordinis simpliciter nomen retinet.

igitur extat in nobis, sive mentibus nostris
impressa est Lex naturalis. Est enim quadam
Legis aeternae participatio, quâ bonum et malum
discernimus, ut patet ex data illius definitione.
Atqui extat in nobis huiusmodi Legis aeternae par-
ticipatio: nam apud se quisque intelligit, quid
sit bonum, et quid malum; quid rationi con-
sentaneum, quid contrarium.

91. Lex positiva dicitur ea, quae à libera Legis-
latoris voluntate posita est: unde illa non
instat Legis aeternae et naturalis, semper ma-
net; sed mutari, aut aboleri potest. Vel
divina est, vel humana: prior à Deo, pos-
terior ab hominibus, est lata.

Lex divina Veteri et Novo Testamento
continetur, unde vel Vetus est, vel Nova.
Vetus est illa, quae populo Iudaico data est
per Angelos Intermedium Moysse. Nova Lex
Evangelica, seu Novi Testamenti dicitur, quae
omnibus hominibus lata est à Christo Domino
omnium Salvatore.

Lex humana dicitur, quae ab hominibus la-
ta est, cuiusque potest Decretum, seu ordina-
tio, quâ superior publicam potestatem ha-
bens, subditos astringit, ut ex eius prescripto
actiones suas ordinent. Estque duplex,
Ecclesiastica nempe, et civilis. Prima sacris
Conciliorum, praesertim generalium Cano-
nicis, SS: Patrum sententiis, necnon sum-
morum Pontificum constitutionibus, ut
vocant, Decretalibus comprehenditur.

Civilis in Reipublicae Constitutionibus,
vel in Imperatorum, aut Regum edictis, p.
consistit.

92. Ut Lex humana homines cogere, vim-
que suam eorum animis inserere possit, oportet,
ut Legislator, et eius sanita illis immo-

tercant; nam quomodo quis illis obsequi valebit, ^{55.}
si de eo, cui prestanda est obedientia, et de illo,
ad quod obligatur, ipsi non constet? Equidem
verum est, quod natura leges omnium cordibus
sint insculptae, atque sint quaedam praecepta
omnibus gentibus communia, eorumque auc-
tor à nullo sana mentis homine ignorari
queat: at Leges humanae non pari ratione
innotescunt, cum à Superiorum arbitrio pen-
deant, atque ad eis obtemperandum peculiare
Imperat populi adstringantur; ac proinde,
ut vim habeant, oporteat eas promulgari, et
ad omnes subditos eorum notitiam pervenire.
Istud autem fit, vel ipsius Legislatoris voce,
vel ab eius Delegatis, de quorum auctoritate
ambigi nequit; vel quorumque alio modo,
secundum variam provinciarum, aut regio-
rum consuetudinem.

Lex quaelibet, si perfecta est, duas partes 93.
complectitur, unam, quae decernitur, quid
agendum aut omittendum sit; alteram, quae
declaratur, quid mali eos sequatur, qui praescripta
negligunt, et vetita patiunt. Cum
enim natura humana ad malum propendeat,
et in ea, quae sunt prohibita, ardentius fera-
tur, parum juvat intimare, quid agendum sit,
si praescripti contemptorem nulla poena se-
quatur: pariter supervacaneum foret poe-
nam comminari, nisi causa, quae hanc poe-
nam post se trahit, praescripserit.

Quamvis Leges libertatem Subditorum coar- 94.
ctare videantur, ita tamen ordinanda sunt,
ut quod per illas praescribitur, in eorum cedat
utilitatem. Iniquum enim videtur, ali-
qua Civibus observanda praescribere, ex qui-
bus nullum emolumentum in illos redunda-
ret: Leges enim medicinae sunt similes, è
quibus nihil proficisci debet, quod ad corporis
utilitatem non sit, quoniam ejus causa

XXX

410

95. instituta est; ita nihil à legibus derivari oportet, quòd Civibus utile non sit, quoniam eorum causà sunt comparata.

95. Jam materia Legibus subiecta est Jus ipsum, seu id, quòd justum est, vel quòd justè agitur vel omittitur; quòdque adeò in omnibus nostris actibus lectari nos oportet. Inamquam Jus etiam pro ipsà arte aut Scientià Juris sumitur, eoque sensu definitur à Celsò, Arts boni et aequi.

Inocivè Jus pro materià legi subiectà usurpatum eodem modo dividitur ac Lex ipsa: nempe aliud est Jus naturale, quòd scilicet natura nos docuit, quòdque est immutabile: aliud est Jus gentium, quòd non male forsàn Jus naturale secundarium dici potest, quòdque apud omnes, saltem moratiores, populos custoditur: aliud est positivum, idque vel divinum, vel humanum; hocque rursum vel est Ecclesiasticum, vel Civile. p. p. Verùm de his specib. de Legibus Tractatu in Theologia fusiùs: hæc prælibaminis locò dicta sufficiant.

96. Caput Quintum.

De variis hominum officiis et muneribus, seu obligationibus.

Obligationis nomine hic aliud non intelligimus, quàm quòdam Juris vinculum, quò ad aliquid faciendum vel omittendum adstringimur: per illam enim liberum arbitrium nostrum quòdammodò coartatur, et quamvis nos liberos esse ultro noscimus, possumusque rei propositæ contrarium appetere, inhaeret tamen per obligationem Menti nostræ vis quòdam coactiva, quæ verius illud tendere non sinit, et quæ admonet, nos postmodum poenitentia tactos iri, nisi secundum prescriptam